

evidentissimum est Franciscanos ab immemorabili jus ad omnes parochias in Bosna et Hercegovina (excepta dioecesi tribuniensi) usque ad a. 1883 possedisse. In Dalmatia item a Turcis occupata tempore eorundem dominii et post ejus liberationem totum illud territorium Franciscanorum curae commissum erat cum aliorum ingerentiae exclusione absque specialibus licentiis, ut supra suo loco vidimus. Si militer et in Slavonia et Croatia Turcis subjecta, prout notavimus, Franciscani valde numerosas parochias habebant et populum cum ibi inventum tum a se conductum ut parochi providebant. Remanet adhuc, quamquam et hoc ex praecallatis in aperto est, pressius juridice examinare, quo titulo Franciscani hoc jus obtinuerint, qualisque natura ejus sit. Tota consideratio nonnisi est amplior explicatio praecedentium secundum principia juris canonici.

\*

Secundum canonum praescriptiones et canonistarum doctrinam, aliquod beneficium, consequenter et parochiale, fieri possunt regularia (religiosa) primaeva fundatione seu institutione, ex privilegio, ex consuetudine vel legitima praescriptione, vel etiam ex unione seu incorporatione,<sup>50</sup> de qua nunc sola Codex juris canonici loquitur.<sup>51</sup>

Etenim, omnibus istis titulis usque ad Concilium Tridentinum acquiri poterat beneficium parochiale religiosum absque interventu S. Sedis. Concilium vero Tridentinum novas uniones ecclesiarum parochialium cum monasteriis quibuscumque, abbatiis... interdixit.<sup>52</sup> Hoc modo incorporations parochiarum saecularium absque S. Sedis interventu amplius fieri non poterant, sed tali decreto nullatenus alii tituli acquisitionis erant suppressi. Canonistae etiam post Concilium Tridentinum unanimiter docent beneficium fieri regulare prima fundatione, praescriptione... vel incorpora-

<sup>50</sup> Reiffenstuel, *Jus canonicum universum*, I. III, t. 5, n. 22; Bouix, *Tractatus de jure regularium*, II, Parisiis 1857, 15—16; Marković G., *Le parrocchie francescane in Dalmazia*, 70; Pistocchi, *De re beneficiali*, Taurini 1928, 27.

<sup>51</sup> Can. 1425; 1423, § 2.

<sup>52</sup> »In omnibus vero quibuslibet, seu ex supradictis, seu aliis causis faciendis, ecclesiae parochiales monasteriis quibuscumque aut Abbatiis, seu dignitatibus, sive praebendis ecclesiae cathedralis, vel collegiatae, sive a-